Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Jonstoni Historia Naturalis

Ioannis Ionstoni|| Theatrvm|| Vniversale|| De Avibvs

Jonston, Jan

Heilbrunna, MDCCLVI.

VD18 90528921

Illustration: Tab. XVII. Cornux cincrea, graw Kräe. [...]

urn:nbn:de:gbv:45:1-11068

Visual Library

Tab XVII



Landesbibliothek Oldenburg

Landesbibliothek Oldenburg

fractionem chamaeleonte, circo, turture et aliis. Cum erucae *p* ſemine, quo interit.

o Cicero l. 1, de Nat. Deorum. *Ariſt. H. A l. 9. c. 1.* *p Ael. 6. de Animalib. c. 46.*

Tempeſtatem plenam ***praeſagiunt***, ſi cum *q* ſingultu quodam diu multumque ueſpertino praeſertim *r* crepuſculo latrant et, ſi de arbore pendent, *s* alas ſaepenumero motitant. Serenitatem, ſi contra ſolum hiantes mane per arborum ramos plumas et alas expandunt, ſi priuatim primo crocitantes mox turmatim congreſsi liberius uociferantur aut, ſi ſub nocturnum crepuſculum gregatim uerſantur et, dum ſeparantur, ſumme crociendo ad nidos aduolant.

Praeſagium. *q Plin. H. N. l. 18. c. 39.* *r Ael. l. 7. de Animalib. c. 7.* *s Virg. Georg. 1.*

Vſus eius in medicina aliquis eſt. Pulli menſe Martio combuſti contra epilepſiam propinati ſunt. Oua ad denigrandos pilos adhibebantur, a Villanouano ad epilepſiam commendantur. Cor portatum uigilias inferre quidam aſſerunt. Pes a collo pueri tuſsientis ſuſpenſus eum, ſi Pſello credimus, ſanat.

Vſus.

CAPVT II.

De Cornice ingenere.

Quae Latinis cornix, Graec. uulgo κορώνη, haec iisdem hodie κυρώνυα uel κύρακα. Polyrrhaeniis Cretae populis κόμβα, Varino κεραὶς, Horo κορὶ dicitur. Magnitudine uincit graculos. Roſtrum, crura et totum corpus habet undiquaque nigerrima, (falſus † Strabo, dum peculiare eſſe Hiſpaniae, ut nigrae ibi ſint cornices ſcribit) illud tamen duriſſimum alias et acutiſsimum prope caput albicat, ſuperiori parte barbulas quasdam ueluti ſetas circa palpebras habet, inferiore nigra eaque minima ueluti granula. Albam capite nigricante, caeteris alarum apicibus in rubedinem uergentibus Rhodiginus *a* uidit.

Deſcriptio. *† Strabo l. 3. Georg.* *a Rhodig. Antiq. lection. l. 11 c. 11.*

Verſantur circa urbes, domos, maris ripas, fluminum litora et ſterquilinia. In Britannia ingens ipſarum copia, quoniam in pabulo humido eius ſoli uermes abundant.

Locus.

Victitant frugibus, nucibus, oliuarum baccis, uermibus, piſcibus et carnibus et uere *b* πάμφαγοι dicuntur.

Victus. *b Ariſt. H. A. l. 8. c. 3.*

Generationem earum quod ſpectat. *Nidulantur* in ſummis arborum frondibus. *c* Non temere nec impudenter inter ſe miſcentur et eandem cum coruis in coniugio fidem ſeruant, hinc ſolitariae cornicis occurſus malum in nuptialibus auſpiciis omen, eliminare cornicem uirgo iubebatur. *Oua* pariunt poſt ſolſtitium gemina, natura ita diſpenſante, ut, *d* quae diu uiuunt, pauca procreent. *Incubant* foeminae tam impenſe, ut *e* aſsiduo in incubitu plumas exuant. Pullos a cauda de ouo exire ſeu pedibus primo praeuolutis falſum, caecos naſci *g* ueriſimilius eſt. Non prius paſci, quam plumis ueſtiri incipiant, uulgo creditur. Volandi potentes *h* diu proſequuntur et auolantes ſubinde comitantur, ideo iuſta naturae talione et decreto, quantum *i* tempus impendere in foetibus educandis, tantum et ipſae ſenio confectae a pullis ſuis aluntur. Male a ſolſtitio aeſtiuo ***habent*** ſeu, quod *k* ſcabie et lepra adficiantur ſeu, quod carnes a lupo ſemeſas comedant. *Aetates* ipſi humanas ter tres *l* auctores tribuunt. Arato ἐννεάγηρα κορώνη dicitur forte, quod diu uiuat, πολύγηραν namque Theon exponit. Ariſtophani πέντε γενεὰς ἀνδρῶν ζώει, quinque generationes uirorum uiuit. *Vox* ipſius eſt κράζειν uel κρώζειν, ob aſsiduitatem obſtreperi cantus garrula et loquax dicitur. Quamuis uero eas τανυγλώσσας Homerus *m* uocet, id eſt lingua longa et extenſa, tamen tempore Plinii adlata *n* e Baetica plura contexta uerba exprimens et alia atque alia crebro addiſcens.

Generatio. *c Aelian. de Animal. l. 3. c. 9.* *d Aphrodiſ. l. 2.* *Probl. 64.* *c Iſidor. Orig. l. 12. c. 7.* *g Ariſt. l. 4. de Generat. c. 6.* *h Ariſt. H. A. l. 6. c. 8.* *i Iſidor. l. 6.* *k Porphyr. περὶ ἀποχῆς.* *l Plin. l. 7. c. 48.* *m Odyſſ. ε.* *n. Plin. l. 10. c. 43.*

Volat celeriter. *Graditur* lente inſtante pluuia, celeriter, dum pullos paſcit.

Volatus.

Amicitias colit cum ciconiis, quibus maria transuolantibus ducem ſe praebet et cum *o* ardeola, cum qua contra uulpem pugnat. *Inimica*

Adfectus. *o Ariſt. H. A. l. 9. c. 1.*

Landesbibliothek Oldenburg